

Nathan Chyträus

**MEMORIAE || M. SAMVELIS CA-||LANDRI, ET || M. HENRICI PIPE-||RITAE,
CHRISTI, ET ECCLE-||siarum Stralsundensis & Gustrouien-||sis ministrorum
fidelissi-||morum.|| EPICEDION || NATHANIS CHYTRAEI.|| EIVSDEM || CONTRA
PESTEM || prophylacticum recens || recognitum.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1583

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1671077016>

Druck Freier  Zugang





A-L
A-S
A-T
A-C
16. a. 8.
143p
A-G
A
A-B
A
A
A-B
A-B
A-C
63p Fuw

Sm-4202⁸-7.

ND 16
1: P 4668
2: P 4675
3: P 4669

24
Donum Sui Pastoris Schulte
Melb. p. Biblioth.

XI. 13.

C II 1

MEMORIÆ
M. SAMVELIS CA-
LANDRI, ET

M. HENRICI PIPE-
RITÆ, CHRISTI, ET ECCLE-
siarum Stralsundensis & Gustrouien-
sis ministrorum fidelissi-
morum.

EPICEDION
NATHANIS CHYTRÆI.

EIVSDEM
CONTRA PESTEM
*prophylacticum recens
recognitum.*

ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri.

1583.

*Nobiliss. v. Theodorico
Benernest et H. Gyl.*

M. S. AMVELLIS GA
LANKA ET
M. HENRI
THE GREAT
BOSTON
1777



NOBILIB. ORNATIS-
simis, prudentissimisq³ viris, Do-
minis Consulibus & Senatoribus
inclytarum ciuitatum Stral-
sundensis, & Gustroui-
ensis Dominis suis
colendis.



Irum forte videri alicui pos-
sit, nobiles amplissimiq^{ue}
viri, quod hoc tempore, in
editione opusculi vsque adeo
minuti, duarum ciuitatum,
& earum quidem in diuersis
regionibus sitarum, proceres compellare, atque
ita, vt aiunt, ex vna fidelia duos parietes deal-
bare non dubitarim. Ego vero, si huius mei
consilij rationes aperuero, plane mihi persua-
deo, tales eas fore, quæ ab intelligentibus &
moderatis viris prorsus improbari non possint.
Notum est mihi, & multis alijs bonis & hone-
stis hominibus, quales hi duo, quos coniunctim
hic celebros, Christi ministri, singuli in suis Ec-
clesiis fuerint: quam veræ religionis, pietatis
& disciplinæ Ecclesiasticæ amantes: quam in
do-

doctrina sacra piè & solidè eruditi : quam in
docendo assidui & ardentis : quam in omni
vita & officio innocentes, vigilantes & fideles.
Taliùm igitur, & tam singularium Christi mi-
nistrorum, & animarum vestrarum pastorum
memoria, quinam vobis esse potest non gratif-
sima ? qui & ipsi eos viuos adhuc studiosè au-
diuistis : omniaque humanitatis & veræ bene-
uolentiæ officia benignè ijs præstitistis: eosque
pestili præsertim lue grassante, nuper vobis e-
reptos, non vulgari cum dolore & lamentatio-
ne estis prosecuti. Huc accedit, quod vterque
eorum, & imprimis M. Samuel Calander,
ab incunte ætate mihi amore mutuo & sincero
semper fuerit coniunctissimus. qui ipse amor,
cum ne post mortem quidem illius, vlllo vn-
quam tempore in animo meo possit exstingui,
sollicitè subinde cogito, quomodo filijs ab ipso
relictis, & præsertim ei, quem in meam fami-
liam, eadem cum meis liberis institutione v-
tentem, recepi, commodare ita possim, vt stu-
dia satis feliciter incepta, deinceps quoque, sua
cum laude, & Ecclesiæ ac Reipub. vtilitate
continuantur queant & perficere. Quo ipso no-
mine, nuper ad seniore[m] reipub. Stralsunden-
sis consule[m], virum dignitate, virtute, & au-
thoritate clarissimum, D. Ioachimum Clin-
ckoui-

177
ekouium litteras dedi, quibus Henricum, Sa-
muelis F. Calandrum domesticum meum (de
cuius indole, ingenio, & memoria præcla-
ram animo meo spem concepi, & qui tum ipse
quocue specimen aliquod industriæ & profe-
ctus sui literis illis adiunxerat) de nota melio-
re illi commendavi, & petij, si quid forte istic,
exijs bonis & retribus, qui iam olim à maio-
ribus pietati & litteris, earumque cultoribus
consecrati sunt, vacaret; vt tum præ alijs hu-
ius paulo ante à me nominati Calandri ratio
haberetur. Quæ ipsa res, vt iam quoque eo
felicius procederet; hunc etiam publicum, &
forte satis simul importunum monitorem &
interpellatorem quasi succenturiatum epistolæ
illi volui subiungere. Non enim verebar, vt
apud vos viros prudentissimos, & momenta
omnium officiorum præclare intelligentes, in
suspicionem alicuius impudentiæ, à quo vitio
toto vitæ meæ tempore alienissimus esse flu-
dui, inciderem; cum pudor propter amici
commoda & necessitates depositus, non mo-
do non improbetur; verum laudetur quoque
magnopere, cum ab alijs, tum vero imprimis à
poëta Venusino. Et certe nemo, nisi omni pie-
tate & humanitate planè destitutus, huiusce-
modi officiola, quæ amicorum, præsertim iam
defun-

Λ :

defun-

defunctorum, liberis præstantur, in partem rapere potest deteriorem, nisi quis forte, quod hac ætate, & his moribus non infrequens est, id quod manu dextra porrigitur; ipse sinistra velit accipere. Præterea cum non sine dolore vestro vobis constet, quanto astu & vafricitie Diabolus effecerit, ut integerrimus ille seruus Christi Samuel (cui, propter spectatissimam innocentiam, viuo labes procul dubio huiusmodi aspergi non potuisset) iam piè defunctus, apud stultam & rerum omnium ignaram plebeculam ita deformaretur; ut is, qui paulo ante tanta cum admiratione & intentione auditus, amatus, obsequatus & cultus, tantaque cum commiseratione, gemitu & lacrymis, tam frequenti funere, & sepultura singulari fuerat honestatus; tam subito apud vulgus, & quidem auditores suos, aura nimirum populari in contrarium conuersa, male audire, & calumnijs ac mendacijs vanissimis cœperit exagitari. Ita quidem, ut ipsius quoque fides, pietas, & doctrina (id enim callidus ille & iuratus generis nostri hostis potissimum spectauerat) apud nonnullos in dubium vocaretur. Quasi vero cadaveris illius arefacti (homines eruditi eo nomine *σκελετῶν* vocant) quod à Pharmacopola quodam & medico iamdiudum in hac quoque

quoque Academia nobis noto, Nicolao Albur-
 gio Dano, cum is Stralsundio Neobrandebur-
 gum commigraret, apud Samuelem hunc fue-
 rat depositum, & in translatione supellectilis
 tandem inuentum, nullus alius vsus esse po-
 tuerit, quam is, quem homines superstitiosi,
 aut artibus magicis dediti, nescio quibus de
 causis illi affingunt. Notum autem est homi-
 nibus, non tantum doctis, verum ijs quoq; qui
 eorum quæ in quotidiana vita passim geruntur
 & fiunt, non planè sunt ignari, & præsertim his,
 qui in iuuentute sua non perpetuo domi & a-
 pud materculas suas delituerunt; sed ad exem-
 plum Vlysis aliorum quoq; hominum mores
 & vrbes accuratius sunt contemplati; notum in-
 huiuscemodi hominibus est, quam illæ ofsium cor-
 poris humani aridorum compagine, præsertim in
 Scholis & officinis medicorum & chirurgorum,
 frequentes sint: quam studiosè in bibliothecis aut
 aliis supellectilium Academicarum receptaculis as-
 seruentur: quam crebrò in Scholas philosophicas
 & physicas, ocularis, vt vocant, demonstrationis
 gratia inferantur, & palam ostendantur: aut vbi
 illæ defunt, quam cupidè earundem picturæ ad
 viuum expressæ, a physiologia studiosis expe-
 ctantur. Cuius ipsius rei testes vix vsquam alibi
 plures, quam apud Stralsundenses ciues vestros,
 (quos peregrinationibus longinquis, & præsertim
 Italicis delectari notissimum est) reperero. Vi-
 derunt enim, credo, multi eorum, qui Romæ in



Hospitali, quod vocant S. Mariæ de consolatione, fuerunt, *στέλε τὸν* illum, quem Antonia quædam in testamento ex suo cadauere fieri, & eo in loco viris & inuenibus eruditis contemplandum proponi voluit. Id quod inscriptio quoque addita testatur, in qua ipse quasi sceletos viatorem primo versibus compellat, deinde soluta quoque oratione verum sui vsum aspicientibus indicat, hoc modo.

Carnibus orba suis cur sint hæc forte requiris

Iuncta tamen iusto corporis ossa situ?

Sic mandata dedi vituens Antonia quondam,

Et moriens eadem iussa suprema dedi,

Vt sceletos fierem, medici quo discere possent

Quanta forent, quot, quo, quælibet ossa lo-

Quod iulsi fecit Gisbertus. gratia magna (co.

Huic maneat. satis est lux mihi perpetua.

Quod hoc vides, amice, corpus, sine corpore,

ne stupeas, aut damnes quisquis es.

Testamento sic ipsa caui, vt hoc, quod

cernis, fierem, Philosophis ac Medicis sacrum.

Horum si es de numero, sacro legato vtor:

sin profanus, indoctus; hinc ocyus abscedito.

Sed quid testimonijs tam longè peritis nobis opus est?

cum vel nostra hæc, vobis tam vicina,

Rostochiensis Academia hac in parte

satis.

satisfacere cuilibet volenti, & iam olim potuerit, & adhuc hodierno die possit. Anni iam sunt xxvj, aut etiam plures ijs, cum clarissimus ille medicus & philosophus Iacobus Bordingus, antequam ad sereniss. Daniæ regem Christianum auocaretur, doctrinam de situ & structura ossium in hac schola inuentuti proponeret. quo quidem ipso tempore, subinde videbam Philippum Bordingum, tum adhuc adolescentulum (cum nimirum qui postea adultior, superiori peste in vrbe vestra Stralsundio quoque grassante, medicinam faciens, apud vos, in flore ætatis, extinctus est) patrem in auditorium prodeuntem pone subsequi, gestantem sub palliolo suo calathum, in quo certorum ossium ex sceleto exemptorum numerus, de quibus scilicet ea hora docendum erat, continebatur. Id quod vna mecum Samuelem quoq; nostrum tum vidisse facile crediderim. Illud certissimum est, quod de Gerardo Nennio Sleidano, medico & mathematico eximio, & trium illarum celebrium linguarum cognitione peritissimo, & dexteritate in docendo paucis secundo, (cui etiam Samuel hic noster intima familiaritate coniunctissimus esse solebat) obiter commemorare hic libet. Is igitur cum celebs adhuc, in collegio Sylva-

A s

ni a

ni apud nos domicilium suum haberet; iuxta lectulum, in cubiculi sui pariete, erectum habebat asserem dolabra læuigatum, in quo Sceletos pueri cuiuspiam, integram omnium humani corporis ossium figuram & coagmentationem repræsentans, erat affixus. Quem ille semper in conspectu habere, & aliis quoque earum rerum studiosis commonstrare, & in lectiones quoque publicas, maximè cum eruditissimum Galeni de ossibus libellum explicaret, sæpè numero inferre solebat. Vnde etiam factum esse arbitror, cum Samuel hic noster quotidianus & indefessus Nennij huius auditor fuisset, & usum sceleti præclare intelligeret; vt cadauer illud arefactum libentius & facilius passus sit à pharmacopola illo, aliò commigrante, domus suæ deponi: cum præter usus supradiçtos, ipse quoque alios quosdam, ab hominis Christiani officio minimè alienos, percipere ex eo posset. Quid enim in seriam conditionis & mortis nostræ cogitationem euidentius & expressius nos deduxerit? Quidnam celebratum illud QUID FVISTI? QUID ES? QUID ERIS? exactius menti, cogitationibus & oculis nostris repræsentauerit? Quidnam ex omnibus ἐς τὴν ἀνεπιχρῖαστον σοφίαν τὸ πείσαντος (vt Basiliius in Homilia quadam loquitur) melius & plenius nos

774
nos deduxerit? Eam autem optimi huius Sa-
muelis naturam et consuetudinem fuisse, omni-
bus bonis viris, qui familiariter ipso vſi ſunt,
notum eſt; vt omnium honeſtarum & laudabi-
lium rerum & artium amore & ſtudio tenere-
tur proſus infatiabili. Hinc diſciplinaram
phyſicarum & mathematicarum non vulgaris
cognitio. Hinc tot herbarum notitia: & ſuccos
ſeu liquores ſalubres artiſcioſè ex ijs eliciendi,
cum ſingulari induſtria, & tenuiorum paupe-
rumq; vtilitate coniuncta ſcientia. Non igitur
mirum erit homini erudito *ὡς Ζητῆτικῶ* ſi au-
diat, ſceletum quoq; corporis humani Samuelem
delectatum eſſe; cum aliarum pœnè omni-
um, etiamſi minutiffima eſſent, liberalium ſtu-
diorum tractatione tantoperè afficeretur. Me-
mini ego ipſe eum, cum adhuc Roſtochij eſſet,
licet longè me adultiorem, ſubinde tamen ad
lectiunculas & repetitiones meas domeſticas
ventitare, quod rationem dimetiendorum &
componendorum carminum, quam in puerili
inſtitutione non ita ſolidè percepiffet, ſe ex me
diſcere velle affirmaret. Qui igitur rerum, (vt
vulgò iudicantur, & reuera, ſi cum maximis il-
lis conferantur, etiam ſunt) vſq; adeo tenuium
diſcendarum tanto teneretur deſiderio; eum-
que mirabimur in admirabilem illam & ſolidæ

voluptatis plenissimam corporis humani fabricam, tamquam in amplissimum diuinæ sapientiæ, omnipotentia, & bonitatis theatrum, nonnunquam oculos suos defigere voluisse, Præsertim cum ad humanæ fragilitatis, & mortis quoq; contemplationem & meditationem, eiusdem spectaculi opera, via maximè compendiosa deduceretur. Quam quidem ipsam mortis meditationem Samuelem hunc nostrum, etiam iucunditatibus & gaudijs, si qua fuerint, suis semper solitum fuisse interponere; domestici omnes & familiares testes ei esse possunt. Memini etiam ego ipse, cum postremo in his terris domi suæ apud vos eum inuiserem, me in instrumentum quoddam ipsius Musicum incidere, cui ille caluariam, & tibias hominis mortui affabre appingi iussisset, ea quidem in organi illius parte, quam epitoniorum, ut vocant, manubria tangenti, perpetuo ob oculos versari necesse esset. Ex quo facile perspiciebam, quibus cogitationibus, etiam in ludicris, animus ipseus potissimum occuparetur. Id quod etiam beatissima, & paulo post subsecuta illius in meliorem vitam commigratio, longè adhuc evidentius demonstrauit. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius est, quanta etiam in dormitorio suo subterraneo iniuria affectus

fectus sit noster ille Samuel ab ijs, qui ex ca-
dauere illo occasione arrepta, tot probris &
calumnijs optimum & innocentissimum Chri-
sti ministrum, & tam præclare de Ecclesia sua
meritum, proscindere & deformare; aut etiam
excusationibus suis frigidis, dubijs & malitio-
sis, suspicionem illam in animis multorum
magis confirmare, quam extinguere non erti-
buerunt. Ego profecto quoties de casu hoc
antea pænè inaudito cogito; toties cum admi-
ratione rideo vanitatem & stultiam nonnullor-
um, qui ita dediti sunt auræ populari: atque
ita prorsus ab ea dependent, vt inde quasi vi-
uere & sustentari, & in ea summum quoq; bo-
num suum positum esse existimare videantur.
Quod ipsum quàm multos, & quidem summos
quoq; viros, turpissimè deceperit, historiæ te-
stantur, & idem ex hoc quoque casu clarissimè
apparet. Samuele hoc dum viueret, vix quis-
quam ex eo ordine auditoribus suis carior, vix
quisquam plebi amabilior, vix quisquam vni-
uersis admirabilior videbatur. Ad hunc enim,
quotiescunq; doceret, turmatim confluere,
hunc in oculis & ore habere, hunc de rebus
dubijs consulere, huius responsa tanquam ora-
cula exigere, & impetrata exosculari solebant.
Credisset aliquis, hunc amorem adeò altus &
fir-



firmas in eorum animis radices egisse, ut nul-
lis unquam mendaciis, nullis obtreptioni-
bus, nullis denique calumniis euelli ex iis
posset. Quid autem, tam breui tempore inter-
iecto, postquam videlicet rumor de infelici
isto caduere nonnihil percrebuerat, acci-
derit, vobis viri prudentissimi notius est,
quam aut velletis, aut factum esse expedi-
ret. Prudenter vos quidem, ut egregios
veritatis & innocentiae patronos & vindices
decurit, in rem totam inquisiuitis: & veri-
tate cognita, grauissimo interdicto publice
proposito vetuistis, ne quisquam iurisdictioni
vestrae subiectus, temerariae illi, bonis &
innocentibus maledicendi, eosque calumni-
andi libidini deinceps indulgeret. In quo
ipso obedientiam quoque debitam, a subdi-
tis vestris praestitam vobis esse non dubi-
to. Cum autem maledicto nihil sit velocius:
nihil cupidius excipiat: nihil facilius &
expeditius, in loca etiam longissimè inter
se distantia dissipetur: nihil tenacius ani-
mis hominum, maximè suspiciosorum, in-
fideat: non abs re facturum me arbitrabar,
si hoc loco eiusdem calumniae publice quo-
que mentionem facerem, & amici mei oppri-
mi & desideratissimi famam & existimatio-
nem

nem, quantum quidem in me esset, etiam post mortem mihi carissimam esse ostenderem: eiusque seriam defensionem, mihi ut credo non inhonestam, susciperem. Etiam si enim nequaquam mihi sit obscuro, apud bonos & intelligentes huiusmodi scriptionibus opus non esse; apud malos autem & imperitos parum aut nihil iisdem profici solere: tamen falsis rumoribus deceptorum, & adhuc sanabilium, maximè apud exteros degentium, opinionibus, hac opera consulendum esse censui. Quos etiam, probè scilicet iis, quæ hic & in epicedio narraui, cognitis, æquiores huic Samueli nostro futuros esse non dubito. Præsertim cum recordabuntur, præstantissimis quibusque & sanctissimis viris, hoc quasi proprium in his terris fuisse, ut calumniæ & malevolentia morsus penitus effugere non possent. Quid innocentsissimo illi Athanasio contigerit notum est: quem brachio Arsenij anagnostæ Alexandrini ad artes magicas abuti, quamvis Arsenius ille adhuc in vivis esset, Ariani impudentissimè calumniabantur. Alios, quos recitare ex historiis pænè infinitos possem, libens prætereò; & sicuti in bonorum & candidorum vi-

rorum

rorum iudiciis libenter acquiesco: ita nigro-
rum & imperitorum susurros tantidem facio,
quanti aut numerum lupus, aut torrentia flu-
mina ripas. & idipsum alijs quoque censeo fa-
ciendum. ἰχυρὸν τὸ ἀληθές, quod aliquandiu
premi quidem & mergi; opprimi autem, &
penitus submergi potest nequaquam. Hone-
stissimo interim S.P.Q. Stralsundensi, & com-
memorationem hanc, & meam in amici inte-
gerrimi manes quoque propensionem, non in-
gratam esse posse, omninò mihi persuadeo. A
vobis autem qui Gustrouienſis Reip. consules
& senatores estis, permanenter peto, & conten-
do, vt hanc ipsam paulo prolixioſiorem, commu-
ni huic epistolæ insertam, viri optimi, popu-
larisque vestri, & illustrissimæ quoq; principi
nostræ notissimi olim alumni, defensionem,
boni consulatis. Vos vero vtriusque ciuitatis
proceres amplissimos simul idem ego quam
possum officiosissimè, etiam atque etiam rogo,
vt commune hoc Epicedion duobus fidelissi-
mis Christi seruis, & vigilantissimis Ecclesia-
rum vestrarum pastoribus, coniunctim à me
elaboratum, non aspernemini: & vtriusq; e-
tiam, adhuc apud vos degentes viduas & li-
beros, perpetuò vobis quam religiosissime
commendatos esse patiamini. Valet. Rosto-
chio

127
chio, Cal. Ianuarij, inchoantib. annum à nato
Christo CIO IO XXCIII, qui vt vobis
omnibus & singulis, torisque adeo ciuitati-
bus, Ecclesijs, Scholis & familijs vestris
felix, faustus & tranquillus sit, sincerè
& ex animo, & quidem huius
ipsius quasi strenæ indicio, à
Filio Dei Salvatore no-
stro nobis dato &
nato, precor
& opto.



Dignit. & Ampl.
vest.

obseruantifs.

Nathan Chytræus.



B

MEMO-

MEMORIAE
M. SAMVELIS CALAN-
DRI, ET M. HENRICI PIPERITÆ,
Christi & Ecclesiarum Stralsundensis &
Gustrouienſis miniſtrorum.



VM pestis fera finitimis grassatur
in oris,
Functasq; manus, nullo discrimi-
ne sexus

*Etatisque habitò, passim inicit omnibus; ecquid
Aut damnum maius dedit, aut dare posse paran-
quam cum vos duo iam vidui sulcimina (da est?
ouilis,*

*Ductoresque oculosque gregis, te scilicet unum
Tam mihi dilectum ô Samuel, similemque per ô-
Ingenio & pietate tibi fidum Piperitem (mnia
Sustulit: hunc Hænetos inter, confinibus illum
In Pomeranorum populus, Gustrôa rigentem ut
Hunc gemat: vrbs illum sibi Sandia ploret adem-
Vtraq; sinceri nunquam oblitura ministri. (ptu:
Quando etenim, lue pestifera grassante, popelli
Complures de fece cadunt, ignobile vulgus;
Nil deplorandum vehementius euenit: at si
Pastoresque ducesque gregis, patresque fideles;
Qui solari ægros & confirmare solebant,*

Enocet

Evocet hinc tollatq; Deus; tum scilicet ira
 Dat documenta sua, & grauiorum signa maloru
 Hac igitur mecum vt plures agnoscere possent:
 Atq; incumbentes precibus suspendere pœnas:
 Vna eademq; opera (neq; enim sic tempore abũdo
 Vt distincta queam) hoc carmen commune duobus
 Cum gemitu et lacrymis mœstus medicabar ami-
 Quoru, si patriam excipias, vrbesq; virosq; (cis.
 Sub quibus hic illic primam exegere iuuentam;
 Cetera pene eadem, & sibi congrua dicere possis.
 Patria Grabonium Samueli contigit, inter
 Oppidula Herulidũ non planè ignobile: cultum
 Addidit ingenio docili atq; ad magna parato
 Burenius grauis ille senex & cultor honesti:
 Et quem dexteritas paucis imitabilis illo
 Tempore suauiloquo tollebat Nennius ore,
 Compluresq; alij, Rosci quis cura Lycai
 Nunc quoq; commissa est, quos viuos carmine dici
 Nolle puto. his Samuel tum præceptoribus vsus,
 Mecum vna viridi cinxit sua tempora laurus,
 Præceptore duas vno imponente coronas.
 Henrico Lunæ regio est data patria (pagum
 Haienum dicunt) quo clarior ille futurus,
 Glandorp I illius, rudis indomitaq; iuuenta
 Eximij & fidi morum mentisq; magistri

B 2

Subdi

Subditus est ferula, atque docentis ab ore pepen-
Medleri illius magna Brunonis in vrbe. (dic
Mox cycnæum etiam philomela carmē ad Albim
Vuinshemijq; sales Graiorum è fontibus haustos
Imbibit, & Sophia peperit sibi iura magistri,
Quin etiam sacram tum procumbentis ad aram
Imposuit capitiq; manus, munusq; docendi.
Commisit iuueni huic templi eius pastor Eberus,
In nostris quod idem Samueli contigit oris.

Nec tamen hi summas subito ascendere cathe-
Sed parère prius senio didicere verendis, dras,
Horum & ad exemplū se conformare, ministris,
Vtrique & teneram prius erudiere iuuentam,
Et calidos fregere animos in pulueris huius
Pistrino domiti: Brunsviga Henricus in vrbe;
Rostochij Samuel: donec iam factus uterq;
Mitior, & fractis ætate modestior annis
(Quod plures vtinam facerent, ne postmodo in al
Sublati, et cristis tumidi, indocilesq; moneri. (cum
Immemoresq; adeò sibi quid moderatio poscat,
Turbarent rerum ignaro passim omnia zelo)
Christi Ecclesiolus etiam cum laude docere
Diuersis cœpere locis. scit Sundia qualis
Et quantus fuerit Samuel. scit principis aula;
Gustronium, ciuesq; omnes Piperite perempro
Perdidit.

Perdiderit quantum columen, qualemq; magi-
 Ambobus nulla ambitio, simulatio nulla, (stru.
 Ardor opum nullus, nulla ostentatio, nulla
 In dicto aut facto leuitas, detractio, ventus.
 Rancor, amarities animi, assentatio, liuor,
 Inuidia et fraudes nusquam. non prompta susur-
 Aurus erat, non calliditas vulpina, columbae (ris
 Sed pia simplicitas. patientia murmuris expers,
 Pacis amor, rixarum odium, fera bella perosos
 Ornauere animos. aliena negotia nunquam
 Neglectus proprijs consectabantur, in omni
 Officio vigiles, alacres, vereq; fideles.
 Non fractus laqueos animis circumdare, vela (rat.
 Non ventum ad doctrinae omnem conuertere no-
 Vulnera sanabant potius, quam infligere plura
 Tristi Ecclesiola cuperent, satis ante cruenta.
 Gratia nusquam illos, excandescencia nusq;
 Aut spes, vel summi rigida obseruantia iuris
 Veri extra metas rapuit. Sale sparsus in ore
 Sermo erat et prudens, non sesquipedalia verba et
 Verborum ampulla, quibus olim, & nunc quoq;
 Aurea simplicitas libri caelestis, & illa (passim
 Us natina decusque cadit, fucosq; pudendo,
 Aut etiam errorum tenebris inuoluitur atris.
 Non illi infames numerabant saenore nummos,
 A3 Inf-

Infames nunquam rixas pugnasq; ciebant,
Vno eodemq; modo cunctis sed vera sonabant
Grandibus & paruis, sueti contemnere voces
Iratiq; minas hominis, sat praeside tuti
Securiq; Deo. sed nec domini esse volebant,
Aut reges ouium, tantum sese esse ministros
Regis, parerent etiam cui fulmina, gnari;
De dictis cui vel minimis, factisq; proteruis
Mox ratio reddenda foret. non ergo rigebant
Nube supercilij. non vultu aut voce minaci
Conseruos incessabant. non verberare quenquam
Verborum aut manuum, vel suspitione grauebant.
Ludorū inprimis premere aut vexare magistros.
Et duos illis carpendo augere labores,
Exque odio ipsorum sibi conciliare fauorem
Coram plebe rudi, & doctis satis ante rebelli,
Religio his erat. at potius praebere benignas
Dura istis sub fasce manus studuere, pioq;
Consilio, & communi opera frenare ferocis,
Et fermè indomita rabiem hac atate iuuenta.
Nec dubia in peius studio torquere maligno,
Sed bene de cunctis sentire & dicere, nauos
Dissimulare piè & melius sperare, priusque
Non satis admonitos haud proclamare solebant:
Non gestu, sed corde humiles, mitesq; boniq;
Namq;

Namq; illis pietas virtutum amplissima mater,
 Illius & soboles dilectio vera, decensq;
 Integritas inerat, cum dexteritate docendi,
 Et zelo coniuncta pio, vitæq; probatæ
 Exemplo illustri, seu quis vel cerneret ipsos,
 Totiusque domus, vxorum, aut deniq; prolis
 Sermones, victum, vestes, moresque decentes,
 Cuncta piè respondebant: Oratio prorsus
 Consona erat vitæ & factis. fraterna patebat,
 Aut etiam patria, in quosuis exprompta volun-
 Non tantum verbis, alieni aut larga peculI, (tas,
 Sed proprijs de visceribus, si posceret usus,
 Munifica in miseros, nudos, aut patribus orbos,
 Aut fame, nauisfragis vel tempestatibus actos.
 Quin faciles etiam proprias agnoscere culpas,
 Et veniam petere à quouis potuere, quod agrè
 Persuaderi homini notum est, dum quilibet actis
 In proprijs talpa est, alieno in crimine serpens:
 Dum quiuis alios damnare & carpere nouit;
 Ipse sibi ignoscens penitus. discretio prudens
 Non etiam deerat, qua quid vel quando deceret,
 Quosq; inter, qualiq; modo, quando minus, acri
 Iudicio & certo discriminis ordine norant
 Censere, atque suis distinguere singula meris.
 Acre piper nomen Piperitæ fecerat; ast si
 Illius

B 4

Illius

Illius & mores, & dicta, & facta videres;
Plus inerat mellis sinceros inter amicos,
Quam piperis. quis fellis enim quid sensit in illo?
Sed si turpe nefas, aut forsitan acria verba
Posceret improbitas hominum; tum scilicet ille
Sal piperi haud fatuum, & nota saluginis ex-
Sed sapidum, & penetrans planè, & pu- (pers;
tredinis omnis

Impatiens, prudenti animo coniungere norat,
Lenior & grauior prout rerum posceret usus.
Idq; etiam Samueli inerat me teste, alijsq;
Quotquot eum nouere domi, pariterq; docentem
Audiuere palam, ardenti dum fulminat ore,
Mitior innocuo, reprobo grauis, omnibus aequus.
Quod si ades etiam mensasq; utriusq; notares,
Sobrietas erat in victu, & planè inscia luxus
Aurea mundities, quam mens sibi conscia recti,
Et re quantumuis tenui contenta voluntas,
Iucundeq; pius rerum quarumlibet usus
Effecere leuem, & facilem, multoq; priorem
Magnis multorum gazis hinc inde coactis
Per fas perq; nefas, quos in tam diuite rerum
Cunctarum affluxu, tamen insatiabilis auri
Exagitat sitis, ut nummi cumuletur aceruus:
Et pauida exoruciat trepidans formidine pectus.
Euentis

184
Eueniat ne quid, partam quod deminuat rem.
Quorum ideo dulces fugere cubilia somni:
Responsant epulæ, quæcumq; alimenta rebeli
Oberudant stomacho: sunt suspecta omnia, pror-
Sincerum nihil. infido quia nemo fidelis. (sus
Hs animi furijs vacua & liberissima nostri
Pectora gestabant, cœlesti numine freti
Cum scirent, veluti panis non corpora pascit,
Ni benedicentis domini vis robur eidem
Sufficiat: (quo sublato cibus omnis inanis,
Quotidie quamuis decies quis viscera pane
Farciat, esuriens omni nihilominus hora,
Temporibus quod sæpe famis contingere notū est)
Thesauros quoq; sic Cræsi Crassius quietum
Facturos animum nunquam, nisi cœlitus illud
Pani insit satians: modicus quod sæpè; sed amplis
Diuitijs raro proprium est. sua munera auaris
In pœnã quoq; cum Dominus conuertere, & ar-
Maiores opibus satiandi adiungere vires (Etis
Et queat & soleat, sic isti in paupere censu,
Fonticulo è tenui tantundem hausere, quieto,
Quin quoq; plus animo: quam vasto è gurgite va-
Oceani hauriret multo locupletior alter (sti
Paupertate animi numerum in mole laborans.
Non etiam palpi, sed libertatis amantes

Promentis certos animorum è pectore sensus,
Percipide veras audire & reddere voces
Sunt soliti: haud similes illis, sibi tangier vlcus
(Quod calare ipsi magis quam sanare laborant)
Vsq; adeo qui formidant, conuiuere vt ipsi
Offensa sine nemo queat, nisi cogitet vnum hoc
Assidue, pedibus se insistere mollibus ouis,
Perpetuo inter crystallina vitra moueri.
Quod quam difficile & graue sit virtutis amanti
Veracis, facile ingenuus perspexerit omnis.
Sic ergo affecti in fratres, non prorsus amicis
Quisq; suo caruere loco, quis fidere possent,
Arcanosque etiam turò committere sensus.
Non ere nim absurdè est, quisquis fuit ille, locutus;
Fidus sis fidus, vt ameris amabilis esto,
Mutua que nisi sint, omnes soluantur amores.
Me certè à primis talem sibi senserat annis
Sincerus Samuel; sum talem expertus & ipsum,
Vsq; illi dum vita fuit, quin morte reuulsi
Iam quoq; tam fidi nunquam obliuiscor amici.
Talis erat pridem Piperites candidus ipsi
Schingiade frater: talis quoq; Schingius ipsi
Collega & frater Piperita. Schingius ille
Integer & verax, & fallere nescius vllum.
Qui nunc parte velut cordis spoliatus, & ager,
Isai-

Isaides ut Sauliaden lugebat ademptum,
 Ingemit, aridula viduus stans turtur in ulmo, &
 Nil sibi dulce putat, tam fido fratre carenti.
 Hoc ergo in cursu vigilans Henricus, & illi
 Tam similis Samuel, sibi Christo à principe pridem
 Commissos pauere greges, non tempore tantum
 Felici & lato his præsto promptiq; futuri;
 Verum etiam aduerso, proprij discriminis, atq;
 Immemores vitæ, cuius seruire parati.
 Exitus amborum certis quod deinde probauit
 Indicj. namque officij ratione, veneno
 Pestifero insectos dum extremo hoc tempore nun-
 Visere detrectant; votis sed sæpe, pijsque (q;
 Alloquiis multos summo in certamine firmant,
 Inducuntq; animum vitæ in cælestis amorem:
 Ipsi etiam lue correpti, quam sæpius illis
 Monstrauere viam, hanc animoso robore & ipsi
 Ingressi, vitæ, mundo, rebusq; caducus,
 Coniugibus, soboli, cathedris, arisq; focusq;
 Supremum dixere vale, sedesque beatas
 Inuictis adiere animis, & corpora terræ
 Quisque suo liquere loco, dum spiritus illis
 Redditus, ipsa etiam rutilantibus inuehat astris,
 Quisquis es, illorum qui præficieris ouili, (rum
 Aut cuiusq; alij, cupidè horum exempla duo-
 Incen-

*Inuentis obserua animis, eaq; exprime factis.
Et procul à primis ouium Christi;q; ministris
Haud aberis, Rex pastorum cum in nube serena
Dicere ius veniet, caprosq; à mitibus agnis
Disiunget, secum hos vt cæli in gaudia ducat;
Illos tartarei in barathrum deturbet auerni.*

EPITAPHIVM

M. HENRICI PIPERITÆ.

Henicus iacet hic Piperites, proxima Lune
Cui regio vitam, vitæ documenta beata
Brunopolis, sitaq; ad rapidum pia Leucoris Albim
Contulit, ipse iterum teneræ quæ tradere publi
Partim hic, partim alibi studuit. mox scâdere ius-
Temporū cathedras, talem se gessit in omni (sus
Officio, vt seruum Christi populiq; fidelem,
Exemplumq; gregis reliqui, speculumq; decebat.
Dux pius hoc nouit, scit principis aula, scit ipsum
Gustrouium, lustris illum quod pæne quaternis
Pastorem & patrem agnosens, nunc peste perem-
Ex animo dolet, et similes sibi cælicus optat, (piū
Voti utinam compos, templi cathedraq; ministros.

Pastori integerr. NATHAN CHYTRÆVS F.
placidissime obdormiuit Gustrouij Anno MD
D XXXII. die xv. August. An. æt. LV.

EPI-

EPITAPHIVM
M. SAMVELIS CALAN-
DRI.

EN Samuel iacet hic, Caloander. nobile
charta
Grabouium vitam, vitæ documenta beata,
Ingenuas artes, & cultæ munera linguæ
Cui Rhodos arctoa ad Varni sita contulit vndas,
Discipulo primum; qui mox bonus ipse magister
Ætatem erudiens teneram, cantumque gu-
bernans,
Multa tulit, fecitq; diu, Stralsundia donec
Ad sese excirum sacram conscendere iussit
Ad Mariæ cathedram, cui plures ille per annos
Præfuit, & pastor talem se gessit in omni
Officio, vt seruum Christi populiq; fidelem,
Exemplumq; gregis reliqui speculumq; decebat.
Templa ipsa hæc norunt, scit cum populo ipse se-
Atq; vrbs, quæ lustris illum iam pæne (natus,
quaternis
Pastorem & patrem agnoscens, nunc peste per-
emptum
Ex animo dolet, & similes sibi cœlitus optat,
Voti vtinã compos, templi cathedraq; ministros:
CON-

CONTRA PESTEM

ΠΡΟΦΥΛΑΚΤΙΚΟΝ

recens recognitum.



*Vid pestem mea mens horres?
contagia casu*

*Numnam hæc incidere, aut cæli
sine numine credis*

Posse luem hanc nocuisse tibi? cum nec pilus unus

Excidat è capite: & minimus passerculus, absq;

Intuitu nutuq; Dei, non arbore telo

Auc globulo cadat. hæcne igitur tibi toxica speras

Inuito nocitura Deo? qui conditor orbis

Totius est, cunctis etiam cum partibus eius

Vel minimis, quas ipse creat, disponit, & aprat,

Destruit, & mutat, nullo impediante, nec vsq;

Vllius imperio aut iussu obnoxius vllis.

An igitur tantum Dominum non omnia posse?

Cunclarum an rerum auctorem non omnia scire,

Nec penetrare putas oculis rerum intima acutus?

Ergo voluntate illius securam quiesce:

Et quæcumq; iubet, vel te quocunq; vocabit,

Iussu subit prompta, atq; hilaris sectare vocantem.

Non ille imponet quidquam, nihil ille iubebit

Vtile

Vtile non faustumq; tibi, licet illa videre
 In praesens nequeas. Quin si vel pessima credas
 Et damnosa tibi; tamen experiere parentem
 Tam mitem, tam munificum, & mortalis aman-
 Nil sinere, aut fuisse vnq; contingere caris (tem,
 Electisque mali, de quo non optima posset
 Elicere, & creperas mutare in gaudia curas.

Quid cunctare igitur? cur carcer foetidus iste
 Est potior tibi sideribus rutilantis Olympi?
 Si fieri debet Domini, non nostra voluntas;
 Cur te illi opponis? cur vis contraria Christo?
 Cur toties caelum precibus votisque petisti?
 Quod quasi nunc inuita subis. caelestia regna
 Cur petis aduentare tibi? terrestria cum te
 Vsq; adeo illecebris capiant, captamq; retardent.
 Cur mundum, cui baptismi iam tempore pridem
 Bellum indixisti, & qui te cane peius & angui,
 Christiadam cum gente omni, execratur & odit,
 Cur, inquam, mundum Christo plus diligis ipso?
 Qui te ardentem amat, proprio qui sanguine captam
 Te redimit, caeloq; suo te inferre laborat.
 Vile nimis caelum est illi, cui carior aequo
 Haec vita est, quiq; ex illa migrare recusat,
 Magnanimus verbis, factis sed plumbeis ipsis.
 Est domus hic pertusa tibi, rimisque sathiscentis
 Ergo

Ergò huic postponis solidi cur atria cœli?
Hic, velut insistens glaciei turbine venti
A reliqua mole abruptæ, brumale per æquor
Anxia iactaris nunc huc, nunc fluctibus illuc,
Præsentemq; modis nunq; non omnia mortem
Omnibus intentant, seu crusta à sole liquefeat,
Seu scopulis illisa mari frangatur in ipso.
Cur igitur portum patriæ cœlestis, amœnum,
Tranquillum, optatum, firmum, nullisq; procellis
Ærumnæ nulli expositum, sine fine beatum,
Cur, inquam, talem portum postponere crustæ
Tam fragili laceræq; iuvat? te collige tandem
O mea mens, & quid facias, ubi stulta moreris,
Quid patiare etiam: quam vana & falsa per or-
Commoda te alliciant: tibi qualia protinus (bens
instent

Damna vide, horridæ toties prædicta Cometis,
Quæ nec vāsani patiuntur crimina mundi,
Et tam multiplices in religione furores,
Magnatumq; sopor, ductiq; è pectore ronchi
Differri vltcrius, cupide in sua damna ruentes.
Euentus quorum tales quandoq; futuros
Quis dubitet? tremulo vt quius sit pectore & ore
Exclamaturus; quam ô mens mea iure beata,
Quam felix esses! tantis si functa periclis

Iam-

Iam pridem, neq; in hos esses seruata dolores.

Hæc ergo perpende libens, teq; erige sursum,
 Nec bona tot postpone malis, nec propria differ
 Gaudia, siderei patris quæ filius ultro
 Morte sua tibi credenti, plagisq; parata,
 Gratuitò & sine fine dabit, quasi criminis expers
 Ipsa tui, nullusq; fores obnoxia culpis;
 Et quasi sponte tuâ fecisses ipsa, tulissesq;
 Omnia, quæ pro te tulit & perfecit Iesus.
 Quocirca quoque sanguinea baptismatis unda
 Infantis quondam, iam tum sub fœdere nati,
 Addictique Deo, est ablutum debile corpus:
 Et mihi adhuc surdo, muto, & rationis egeno
 Audiui Christi mandato & nomine dici;
 En ego te triados veneranda in nomine Nathan
 Immergo, sordesq; tuas his abluo lymphis,
 Quæ mihi sunt longè certissima tessera, Christi,
 Sanguine me ablutum, vitiorum à labe, meique
 Iustitia Christi donatum, cuius in ipsa
 Ut morte & tumulto socius sum: sic quoq; vita
 Certus ero consors: cui quippe resurgere pridem
 Capi animo, & plene tandem ipsa in morte re-
 Victor agens, victa à Christo, de morte (surgant
 triumphum,

Æterna & compos lucis, vitæq; beata.

C

Quam

Quam quisquis dura lethi anxietate grauatus
Perpendit simul, & credit; nã spicula mortis
Terrorẽ huic nõ incutient: quin insuper õ mens,
O mea mens, toties & carne & sanguine Christi
Es pasta, vt certis statuas conuicta sigillis,
Indicijsque istis nullum fallentibus vnquam;
Christum ipsum pro te crudelia vulnera passum,
Et mortem crucis infamem, tibi se dare totum,
Cum meritis lytroque suo; modo credere possis;
Te sceleris quoque iam puram Christi esse cruore,
Pro te etiam qui sit lacero de peclore Iesus,
Participemque sui tanto te pignore reddat
Corporis, ipse caput cuius, nos cetera membra
Attrahet, atque vna in celo coniunget olympo:
Hũc seruatore, (vt pro te in cruce pender et offert
Amplexus tibi, tam placidẽ sua brachia pandens)
Migratura vide mea mens: & pignora amoris
Tot cumulata memor, tecum dic libera curus
Salue festa dies, felicior vna diebus
Omnibus hoc toto, quamuis genialibus, aũo:
Patria iam me vera vocat, de corporis huius
Compedibus. mors atra alios perturbet & angat
Ignaros verique Dei, cordisque patet ni
Illius & fidi. me vero reiret, atque
Refficiat, mihi qui certo persuadeo, mortem;
Certam

186
Certam arumnarum requiem, finemq; laborum,
Infligi à Domino non tanquam à Iudice nobis
Irato, & duro; sed verè à patre benigno
Clementiq; suos ad se qui è sordibus huius
Euocet exiliy propius, caeloque sereno
Inferat, & nulli visa vnquam in luce reponat.
Quocirca haud proprio sed Christi in corpore mortè
Contemplor, solus mortis qui victor amara
Et dulcis vita dator est. mea crimina cordi (rum
Non proprio insculpta, aut prauì mihi conscia, ue-
Christi humeris imposta noto, qui criminis ille
Verè expers agnus, mundi pro crimine pœnas
Sustinuit, legusq; suo mandata cruore
Eluit affixitq; cruci; in qua saucius ipse
Exclamat, sese abiectum, prorsusq; relictum
A patre; ne quisquam, tanta sub mole, piorum
Vnquam deficiat cœlesti à patre relictus.
Hoc igitur clypei inuicti munimine recta
Cur trepidem? cur me nimium pars conscia turbet?
Cur curæ excrucient? cur mortis terrear umbru?
Cur spectris Satana? Christi vnica gutta cruoris
His potior monstris est omnibus. huic ego fido:
Huic totam me dedo libens: hoc pendeo ab vno:
Nescia virtutum, cum sit quoque nulla, mearum:
Cunctorumque etiam scelerum plane inscia, dudù
C 2 Quæ

Quæ Christus pro me subiens plene ipse piavit
Supplicio sauo, & vita omni labe carente.
Ipse tulit poenas, ut nos in pace perenni
Immunes simus poenarum, extraq; periculum.
Christe tuum hoc meritum mihi vindico & assero
Crescentiq; fide: mea crimina rursus et in te (viva
Hoc siquidem ipse iubet, cunctaq; interrita curas
Coniycio, & veniam votis ardentibus oro.
Credo etiam; sed tu fidei languentis & ægræ
Scintillam faculis è cælo ardentibus auge:
Ut melius statuam, sublatum peste beatas
Cælicolum sedes, salua ratione fideque,
Scandere, quam sine peste lacus Acherontis auari
Cum stomacho gemitu, fremitu, strepituq; subire.
Sic affecta igitur mea mens, persuncta ruinas
Tam miseris, quâdo ille volet, quando ille iubebit,
Emigra ô tandem, emigra, spurcique relinque
Carceris exuuias alijs, quis terrea curæ.
Te regnum cœleste vocat, curæque beatæ
Agminis angelici, quorum vltro ad limen anhelâs
Emigra haud metuens, namq; his circumdata sul-
Hoc stipata modo, duce Christo, vindice (cris;
Christo,
In tenebris lucem, vitamq; in morte videbis.

S E M-

187

SEMPER VIGI-

LANDVM.

SI dentes aper exacuit, mulco ante, retusos,
 Quam lupus aut illū pardus ad arma vocet :
 In pace egregius miles si se instruit armis,
 Quæ stringat quando bellica signa crepant :
 Christiades num abs re faciet, si tempore pacis,
 Si quod erit, semper prouidus arma paret?
 Tam contra Satanam, propriaq; incendia carnis,
 Mox contra inferni vim, rabiemq; necis.
 Anne expectabit dum impulsus vtrinq; fathiscat?
 Hinc mors, inde Satan, dum sua tela vibrent.
 Est satius, properanda forent quæ urgente periculo,
 Maturare, quietes dum fuiritia sint.
 Cogere consilium cum portas occupat hostis
 Est pudor, & damnos res quoq; plena graui.
 Sic quoq; falce minax quando ad discrimina vite
 Mors vocat, haud equidem tela parare vacat.
 Quæ cautos quoq; cum dudum pugnaq; paratos
 Terreat; incauto quam furialis erit?
 Me munire igitur contra ista pericula nitior,
 Ne tantam ad pugnam prorsus inermis eam.
 Sed fidei ut clypeo, & verbi circumdatus ense,
 Aut vincam, aut saltem fortius illa feram.

C3

Qui

Qui sapit, ipse etiam se tanta ad praelia pugna
Preparat, ut voti victor abire queat,
Tu modo Christe iuues. sine te victoria nulla hic
Esse potest; imo hæc tu nisi corde nores,
Insculpasq; adeo digito spiraminis almi, ut
Nec mors, nec Satanas eluere illa queant.
Non etenim satis est labro ista sonare, nisi intus
Cor micet. en promptus spiritus, ægra caro est.



LECTORI BENEVOLO,

Ne sequentes pagellas prorsus vacuas tibi ob-
truderemus, hæc quæ vides, hæc hactenus *advēnsōtes*
prioribus subiungere voluimus. quod
in bonam ut partem accipias
peramanter oro.

RECT.

188

RECTOR ACADEMIÆ

Rostochianæ, & collegij Phi-
losophici Decanus

M. IACOBVS PRÆTORIVS.



Vocauit Deus sub initium hesternæ
diei ex hac misera & ærumnosa vi-
ta, Christianum, filiolum doctifs.
& integerrimi viri, collegæ nostri
carissimi, & de studijs iuuentutis nostræ sua fide
& diligentia optimè merentis, M. Nathanis
Chytræi: cui Christiano, pater idè quoque in
Baptismo hoc nomen se imponere voluisse ait,
vt factiosis hifce & schismaticis afflictiſſimæ Ec-
clesiæ temporibus, ipſo nomine ſuo ſubinde, a-
dultior factus, admoneretur, de vnico ſalutis no-
ſtræ auctore, & in vitam æternam duce Domi-
no noſtro Ieſu Chriſto: & repudiatis omnibus
alijs nominibus ſectarijs, contra expreſſum A-
poſtoli edictum nimis iam præ dolor inuale-
ſcentibus, ab huius vnus verbo, quod ſolum in
rebus humanis θεόπνευστον καὶ ἀντόπισον, o-
mni que exceptione maius & auguſtius eſt, pen-
dère, & ad eius vnus præſcriptum, ſuam fidem,
omnia que ad eò vitæ conſilia & actiones ſuo tem-
pore conformare, ſpiritus ſancti potiſſimum in-
ſtinctu & auxilio, diſceret & conaretur. Hanc

C 4

verò

vero honestissimi patris verè piam cogitationem
Deo quoq; non iproprus displicuisse ex eo patet,
quod Christianum hunc, nondum anniculum,
sed vix dum octimestrem, adeò clementer & pla-
cidè ex hac vita euocauit, vt verè de ipso quoq;
dici possit id, quod omnibus pijs diuinitus pro-
mittitur, eum ne quidem visa, nec gustata mor-
te, in sedem vitæ melioris commigrasse. Ibi igitur,
quod pater vnice exoptauerat, verè iam factus
est Christianus, particula nimirum, seu mem-
brum quantulumcunq; gloriosi illius, cui per la-
uacrum regenerationis insertus est, corporis, cuius
caput est Christus. à quo deinceps eum non
peccatum, non diabolus, non hæretici, non fa-
ctiones, non schismata, non mala exempla, non
metus periculorum, nec quidquam quod à quo-
quam excogitari queat, poterit auellere. Gra-
tulemur igitur huic beatæ animulæ felicitatem
hanc planè singularem, & vt parentum honestif-
simorum, quorum cordi hac diuulsione grauissi-
mum præcul dubio vulnus impressum est, dolo-
re piè nos affici ostendamus; vfitatas funeris
cerimonias nostra quoque præsentia, vna cum
alijs, frequentes cohonestemus. Effertur
autem exuuiæ huius Christiani ex ædibus M.
Nathanis, vicinis templo S. Iohannis, hodiè
media prima. Adolescentes igitur studiosi, in

eo ipso templo tum conuenient, & quod à præceptoribus, quos nemine etiam monente vitio adfuturos speramus, fieri videbunt, id ipsi quoque facient, & collegæ amicique nostri, quem studiorum et profectus adolescentiæ ex animo cupidissimum esse res ipsa loquitur mœrorem, hoc qualicunque pietatis officio mitigare studebunt. Interim non immemores, sibi quoque conuenire, quod de hominibus quibuscunque; etiam potentissimis & florentissimis, Aristoteles dicebat, eos esse *νῦν ἀβέλους καὶ ἀδύνατους* h. e. debilitatis et infirmitatis humanæ exemplaria et simulacra. Data sub Sigillo nostro. Anno à nato Christo CIO IO XXCII. VII. Id. Martij.

DE LIBERIS SVIS PIE
DEFVNCTIS N. CHY.
PATER.

Quinque mares, semellam vnã mihi Christe dedisti,
Ceu sex legitimi pignora coniugij.
Primitias sobolis natam tibi proximus, ortum
Ante suum, libuit iungere cœli olus.
Hanc tener Hendricus te præcipiente secutus
Angelicis gaudet letus inesse choris.

Cj

Ia n

Iam nondum anniculus vestigia trita priorum
Insequitur recto tramite Christiades.
Sic medium tibi iam cecidit: pars altera restat
Sola mihi, ad nutus prompta quoque ipsa tuos.
Quae mea sunt, tua sunt, mihi tu omnia Christe
Quisnam auferre iocitur te quoque cuncta veter? (dedisti,
Non ego, si placitum tamen est, nec inutile nobis;
Da incolumis vivat cum Ionathane David:
Cum quibus ingenio certet Matthaeus acutus,
Et castas tremulo proferat ore preces.
Quos ego fac ut sic doceam, in forme meaeque, regamque;
Ut sint in laudes organa grata tuas.
Sin minus; hos etiam mortalibus exue vinculis
Cum liber, atque animo me patiente bea.
Nullus in hoc mundo locus est, ubi tutius esse
Seruarique queant, quam tua celsa manus.
Talia nunc etiam vel certo certius instant
Tempora vindictae iudicijque tui,
Ut merito quiuis sibi magno optauerit emptum
Pignora connubij nulla habuisse sui:
Atque exclamarit, felix o optima coniunx
Prærepta, & tantis non oneranda malis,
Felix morte tua o longe carissime fili,
Quam tibi mors melior, quam mihi vita fuit?
IN

IN TVMVLVM
HEILRICHI NATH. F. CHYTRÆI
ADAMVS SIBERVS,
Rector Grimmensis.

Dives salutis hoc Chytraeus, conditus
Busto cubat, lugente patre, matreq; :
Sed non, uti qui nullam habent spem : nam fore
Credunt diem, quo recipiant natum Neci
Non amplius obnoxium ; cum quo Deo
Coram beatis perfruantur gaudijs.

E I D E M
M. FRIDERICVS STIPITIVS.

Ergo flosculus ille flosculorum,
Et flos ille iacet puellulorum
Cunctorum decus, omnium venustas
Henricus, patris optimi voluptas,
Mellicus, lepidus, tener puellus.
Heu fato nimium cito, nimisque,
Eheu, floridulis peremptus annis,
Olim Ian- Cyriace mi puellus,
O Baro generose, laus, decusque
Doctrina eximium tibi futurus.
Qui testis fueras aquis renato
Illi sidereis sacroque flatu :
Susce.

Susceptore suo, suo parente
Tam felix puer en fessit ambos.

Lugete o iuvenes, viri, senesq;

Vos quotquot mouet eruditionis

Doctrinaeq; decus, mouetq; quotquot

Sermonis nitor ille purioris,

Et Graij simul, & simul Latini,

Et Phæbi comites nouem puella.

Nam quem vos iubeo dolere, natus

Chytrao celebri: nouem sorores,

Artes ingenuas, & elegantes,

Sermonis numeros disertioris:

Sic vero excolit has, & has, & illas,

Vt nescire queas; vel vsq; versans,

An plus excolat has, an has, an illas.

Tali mœstitia putas parentem

Doctum pangere, viuidamq; carmen:

Aut profundere dulce Tulliani

Flumen nectaris, Atticique mellis?

Heu tanto minus, & minus valebit,

Doctum pangere, viuidamq; carmen:

Aut profundere dulce Tulliani

Flumen nectaris Atticique mellis

Heu quanto magis & magis dolebit.

At lugere, quid o, quid o innabit?

Quis.

Quisnam, quis puerum, quis d' sepulchro,
 Luctu vel lachrimis potest molestis
 Excire, in pluuia modum profusis?

Sic visum Domino: modus dolori
 Ponendus. placidè tibi ferendum

Quod mutare nequis. semel terendum

Cunctis mortis iter. puer nefandus

Præceptus vitij, necis pericla

Mille & mille simul, simul tot orbis

Curas effugiens: beatiore

Colludit socios beatus inter.

Huc omnes simul, omnibus diebus;

Deuoti ingeminus: quies, voluptas;

Portus, gloria, gaudium perenne

Credentum polus est. suos parentes

Exspectat puer: huc p̄j parentes;

Huc omnes trahimur: videre dulces;

Cœli letitias auemus omnes,

Infantes, iuuenes, viri, senesq;

IN TVMVLVM

CHRISTIANI NATH. F. CHYTRÆI

IO. FREDERVS.

Matræ dulce sui cor, patris magna voluptas,
 Indole pulcher eram, corpore pulcher e-
 (ram; Dulce-

Dulcius at Christi cor sum, maiorque voluptas
Dulce mihi cuius nomine nomen inest:
Quem nihil indignum tam pulcro corpore certum
Indole tam pulchra me voluisse pati, (est,
Non hominum inuidiam, non vim, non cernere
Non ius iuris inops, perfidiâq; trucem. (fastus,
Pars ergo angelica citò fido lata corona.
O, bene qui moritur, quàm bene viuit homo.

OTHO GRVMERVS.

Perpetuo male sit Parcís, quia cernere pergunt,
Iniustum vitæ tempus ad arbitrium.
Hocce commeruit pietas, probitasq; parentum,
Tristes ut fierent exequiæ puero
Ante diem: Seruatoris de nomine dio
Qui obtinuit nomen nobile Christi adæ:
E teneris vigor & bonitas effulsit ocellis,
Et rara haud fallax indolis augurium.
Grande igitur scelus ausa trium fuit vna sororum
Quæ filia innocui dissecuit Lachesis,
Sed quodnam ausa nefas? siquidem haud scelus
esse putandum est,
Mortalem è terra transuehere ad superos:
A varijs vbi mens curis, luctuque remota,
Corporeisque adeo cassa cupidinibus

Cæli-

Cœlicolũ fruitur regno amplo, & lata trium-
 Percipit & votis iberiora suis. (phat;
 Contra alij primum ingredientes luminis oras,
 Nascuntur miseri, vel miserè pereunt.
 Roborat aũt alios quando maturior ætas,
 Sacra, profana, simul iuxta habuere sibi.
 Quisnam ergo huic puero inuideat, quando ipse be-
 Nos quoque consortes expetit esse suos. (atua
 Ille tenet portum, ex alto & mortalia cuncta
 Despicit, immixtus mentibus angelicus.
 IESV qui mundo teculisti sponcte salutem;
 Exue nos vita hac, indue morte nouam:

PAVLVS TERNOVIVS


defuncti infantis Patri:

Vrogebis ergò flebilibus modis
 Mortem perempti Christiada tuis
 Quem læta curis exsolutum
 Sollicitis fouet aula cœli.
 Quem ceu canorus Orphea fidibus
 Audit canentem cœlituum chorus:
 Qui suauè maiorum cateruæ
 Colloquio fruitur suorum
 Qui (parua tantum ne referens mörer)
 Inferius haurit cœlicolũ gregi

Mag:

Magni IEHOVÆ dulciores
Melle vel ambrosio loquelas.
Plorabis ergò docte vir amplius
Sortem beatam filioli tui?
Nec vulnerato corde cedent
Cum lachrymis queruli dolores?
Num spes futuri te bona sæculi
Sperare quicquam iusserit? an vides
Quam squalleat magno tumultu
Religio, & creperis duellis?
Turcos Scythasque quid memorem tibi?
Doctos sagittam tendere Sericam
Arcu minaci: quidue Moscum
Horribili rabie tremendam?
O ter beatum, cui licitum est mori
Sub flore primo. ne videat scelus
Orbis maligni, neue pœnas
Et citò perniciem sequentem:

F I N I S.



Die C...
is & ch...
Grac...
za.
ra tio...
si i...
por p...
tra a...
die.
In p...
ne t...
fl...
ad...
p...
ter...
nda.

77
V




1/2



Cœlicolūm fruitur regno ampli
Percipit & vocis iberiora
Contra alij primum ingredient
Nascuntur miseri, vel mi
Roborat aſt alios quando mata
Sacra, profana, ſimul iuxta
Quisnam ergo huic puero inuide
Nos quoque conſortes expeta
Ille tenet portam, ex alto & m
Despicit, immixtus menti
IESV qui mundo tetuliſti ſpo
Exue nos vita hac, indue

PAVLVS TERN
defuncti infantis P

VRegebis ergo flebilibus m
Mortem perempti Chriſtia
Quem læta curis exſolut
Sollicitus fouet aula e
Quem ceu canoris Orphea
Audit canentem cœlituum
Qui ſuaue maiorūm cat
Colloquio fruitur ſu
Qui (parua tantum ne refe
Inferius haurit cœlicolūm g



192

um
bat
be
cus